

etiam habet evangelica doctrina sublimitatem virtutis; unde Apostolus dicit (Rom. 1.) quod „Evangelium virtus Dei est in salutem omni credenti.“ Et hoc ostendit Propheta in præmissis verbis, cum dicit: *Exalta in fortitudine vocem tuam*: in quo etiam modum evangelicæ doctrinæ designat in exaltatione vocis, per quam doctrinæ claritas datur. AUGUSTINUS ad Volusii. (epist. 3. prope finem.) Modus enim ipse quo sancta Scriptura contextitur, est omnibus accessibilis, paucissimis penetrabilis: ea quæ aperte continet quasi amicus familiaris sine fuce ad cor loquitur in doctorum, atque doctorum; ea vero quæ in mysteriis occultat, nec ipsa eloquio superbo erigit, quo non audeat accedere mens tardiuscula, & inerudita, quasi pauper ad divitem; sed invitat omnes humiliter sermone, quos non solum manifesta pascit, sed etiam secreta exerceat veritate; hoc tam in promptis, quam in reconditis habens. Sed ne aperta fastidirentur, eadem rursus aperta desiderantur; desiderata quodammodo renovantur; renovata suaviter intrinquantur. His salubriter & prava corriguntur, & parva nutriuntur, & magna oblectantur ingenia. GLOSSA. Sed quia vox exaltata longius auditur, potuit in exaltatione vocis, evangelicæ doctrinæ publicatio designari quia non ad unam tantum gentem, sed ad universas nationes prædicanda mandatur. „Prædicate“ (inquit Dominus Marc. 16.) „Evangelium omni creaturæ.“ GREGORIUS (hom. 29. in Evang.) Potest enim omnis creaturæ nomine natio gentium designari. GLOSSA. Tertio autem habet evangelica doctrina altitudinem libertatis. AUGUSTINUS contra Adversarium legis, & Proph. (Lib. 1. cap. 17. post medium.) In veteri enim testamento, propter temporalium bonorum promissionem, malorumque comminationem, servos parit temporalis Hierusalem; in novo autem, ubi fides impetrat caritatem, qua lux possit impleri, non magis timore penæ, quam dilectione iustitiæ, liberos parit Hierusalem æterna. GLOSSA. Unde & hanc sublimitatem doctrinæ evangelicæ Propheta designat dicens: *Exalta, noli timere*. Restat autem videre quibus, & qua de causa hoc Evangelium sit scriptum. HIERONYMUS (in Prol. sup. Matth. ad Euseb. in medio) Mattheus enim Evangelium in Judæa Hebræo sermone edidit, ob eorum maxime causam qui in Hierusalem crederant ex Judæis: cum enim primo prædicasset Evangelium in Judæa, volens transire ad gentes, primus Evangelium scripsit Hebræice, quod fratribus à quibus ibat, in memoria dereliquit. Sicut enim necesse fuit ad confirmationem fidei Evangelium prædicari, sic & contra hæreticos scribi. CHRYSOSTOMUS super Matth. (in Prologo super opus imperfectum in Matth.) Corpus autem suæ narrationis ordinavit Mattheus: primum ergo nativitatem, deinde baptismum, tertio tentationem, quarto doctrinam, quinto miracula, sexto passionem, septimo resurrectionem, & ascensionem ipsius; non solum historiam de Christo exponere volens per hoc, verum etiam evangelicæ vitæ statum docere: quoniam nihil est quod ex parentibus nascimur, nisi iterum per aquam, & Spiritum renati fuerimus ex Deo. Post baptismum autem necesse est contra diabolum stare. Post hoc quasi omni superata tentatione factus idoneus ad docendum, si quidem sacerdos est, doceat, & doctrinam suam (1) bonæ vitæ, quasi miraculis factis, commendat; si laicus est, operibus doceat fidem. Deinde necesse est exire nos de hoc stadio mundi, & tunc restat ut tentationem victoriam resurrectionis merces sequatur, & gloria. GLOSSA. Patet igitur ex præmissis Evangelii nomen, evangelicæ doctrinæ materia, Scriptorum Evangelii figura, numerus, lingua, differentia, & ordo, evangelicæ doctrinæ sublimitas, & quibus hoc evangelium sit conscriptum, & ordo, processus ipsius.

(1) Forte bona vita.



SANCTUM
JESU CHRISTI EVANGELIUM
SECUNDUM MATTHÆUM.

CAPUT I.

(a) **L**iber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham.
(b) Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Joatham, & fratres ejus.

(c) Judas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar. Phares autem genuit Efron. Efron autem genuit Aram. Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naasson. Naasson autem genuit Salmon. Salmon autem genuit Booz de Rahab. Booz autem genuit Obeth ex Ruth. Obeth autem genuit Jesse. Jesse autem genuit David Regem.

(d) David autem Rex genuit Salomonem ex ea quæ fuit Uriæ. Salomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abiam. Abias autem genuit Asa. Asa autem genuit Josaphat.

(e) Josaphat autem genuit Joram. Joram autem genuit Oziam. Ozias autem genuit Joatham. Joatham autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam. Ezechias autem genuit Manassem. Manassés autem genuit Amon. Amon autem genuit Josiam. Josias autem genuit Jechoniam, & fratres ejus in transmigratione Babylonis.

(f) Et post transmigrationem Babylonis Jechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel. Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliacim. Eliacim autem genuit Azor. Azor autem genuit Sadoch. Sadoch autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud. Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Mathan autem genuit Jacob.

(g) Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.

(h) Omnes itaque generationes ab Abraham usque ad David generationes quatuordecim. & à David usque ad transmigrationem Babylonis, generationes quatuordecim, & à transmigratione Babylonis usque ad Christum generationes quatuordecim.

(i) Christi autem generatio sit erat. Cum esset desponsata mater Jesu Maria Joseph, antequam conveniret, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto.

(k) Joseph autem vir ejus cum esset justus, & nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam.

(l) Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est.

(m) Pariet autem filium, & vocabis nomen ejus Jesus: ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.

(n) Hoc autem totum factum est ut adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem: Ecce virgo in utero habebit, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum Nobiscum Deus.

(o) Exurgens autem Joseph à somno, fecit sicut præcepit ei Angelus Domini, & accipit Mariam conjugem suam: & non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum: & vocavit nomen ejus Jesus.

(a) **H**ieronymus. (a) Quia aciem hominis Matthæus significat, quasi de homine exorsus est scribere, dicens, *Liber generationis. Rabbanus.* (b) Quo exordio satis ostendit generationem Christi secundum carnem suscepisse narranda. *Chrysofomus.* (c) (hom. 1. in op. imperf. circa princ.) Judæis enim Evangelium scripsit, quibus superfluum erat exponere divinitatis naturam, quam cognoscebant; necessarium autem fuit eis mysterium incarnationis ostendere. Joannes autem cum Gentibus Evangelium scripsit, quæ non cognoscebant si Deus Filium habet; ideo necessarium fuit primum illis ostendere quia est Filius Dei Deus, deinde quia carnem suscepit. *Rabbanus.* Cum autem parvam libri particulam teneat generatio, dixit, *Liber generationis.* Consectudo enim Hebræorum est ut voluminibus ex eorum principii imponant nomina, ut est Genesis. *Glossa.* (ordinaria ex Hieron.) Planior autem sensus esset, Hic est liber generationis; sed hic est mos in multis, ut Visio Esaiæ, subaudis, hæc est. Generationis autem singulariter dicitur, quamvis multe per ordinem replicentur; quia propter Christi generationem ceteræ hic inducuntur. *Chrysofomus* in hom. (2. in Matth.) Vel ideo librum hunc generationis nominat, quia hæc est totius dispensationis summa, & radix bonorum omnium, Deum hominem factum esse: hoc enim factio alia secundum rationem sequebatur. *Remigius.* Dicit autem: *Liber generationis Jesu Christi:* quia noverat scriptum esse: *Liber generationis Adæ:* & ideo sic exorsus est, ut opponeret librum libro, Adam novum Adæ veteri: quia omnia per ipsum sunt restaurata quæ per illum sunt corrupta. *Hieronymus* (in princip. Com. in Matth.) In Esaiâ autem legimus (cap. 53.) „Generationem ejus quis enarrabit? Non ergo putemus Evangelistam Prophetæ esse contrarium, ut quod ille impossibile dixit esse assatu, hic narrare incipiat: quia ibi de generatione divinitatis, hic de incarnatione dictum est. *Chrysofomus* in hom. (1. in Matth.) Nec tamen parva æstimes te audire, hanc audiens generationem; est enim (1) valde auditu mirabile quod ineffabilis Deus ex muliere nasci dignatus est, & habere progenitores David, & Abraham. *Remigius.* Si autem aliquis dixerit, quia

(1) *Al.* valde ineffabile quod Deus ex muliere nasci dignatus est. (2) *Al.* deest ad interrogationem Prophetæ.

Ex edit. P. Nicol. (a) In Simbol. quatuor animalium Ezech. 1. (b) Ex Augustino mutuatus Lib. 2. de Consensu Evangelistarum cap. 1. (c) Quod nomine Chrysofomi sequitur est ex Auctore operis imperfecti super Matthæum hom. 1. quod in aliis ejusmodi citationibus deinceps erit observandum. (d) Vel initio secundæ partis quæ incipit, *Deus certe perfectus est.*

Propheta de nativitate humanitatis dixit, non est respondendum (2) ad interrogationem Prophetæ; Nullus generationem Domini narravit; sed perrarus: quia Matthæus, & Lucas. *Rabbanus.* In hoc autem quod dicit: *Jesu Christi,* regalem, & sacerdotalem in eo exprimit dignitatem: nam Jesus, qui nominis hujus præfagium prætulit, primus post Moysen in populo Israel ducatum tenuit; Aaron vero mystico consecratus unguento, primus in lege sacerdos fuit. *Augustinus* de Quæst. novi, & veteris testamenti (d) (cap. 45.) Quod autem per olei unctionem præstabat Deus illis qui in Reges, vel Sacerdos ungebantur, hoc præstitit Spiritus Sanctus homini Christo, addita expiatione: Spiritus enim Sanctus purificavit quod de Maria Virgine in corpus Salvatoris profecit; & hæc est unctio corporis Salvatoris, quare Christus est appellatus. *Chrysofomus* super Matthæum (hom. 1. in op. imperf. parum à princ.) Quia vero impia prudentia Judæorum negabat Jesum de David semine esse natum, subdit: *Filius David, filii Abraham.* Quare autem non sufficiebat dicere illum filium Abraham solius, aut David solius? Quia ad ambos de Christo nascituro ex eis promissio fuerat facta: Ad Abraham quidem sic (Genes. 22.) „Et in semine tuo benedicentur „omnes gentes terræ:“ ad David autem ita (Psal. 131.) „De fructu ventris tui ponam „super sedem tuam.“ Ideo ergo utriusque filium dixit, ut utriusque promissiones in Christo adimpletas ostenderet. Deinde quia Christus tres dignitates fuerat habiturus: Rex, Propeta, Sacerdos. Abraham Propeta fuit, & Sacerdos: Sacerdos, sicut Deus ad illum dicit in Genesi (15.) „Accipe mihi vacam rufam:“ Propeta autem, sicut ait Dominus ad Abimelech de illo (ibid. 20.) „Propeta est, & orabit pro „te.“ David Rex fuit, & Propeta; Sacerdos autem non fuit. Ideo ergo amborum filius nominatus est, ut utriusque partis triplex dignitas originali jure recognosceretur in Christo. Ambrosius super Lucam (Lib. 3. in exp. cap. 3.) Ideo etiam duos generis auctores elegit, unum qui de cognatione populorum promissum accepit, alterum qui de generatione Christi oraculum consecutus est: & ideo licet sit ordine successione posterior, prior tamen describitur, quia plus

plus est, promissum accepisse de Christo, quam de Ecclesia, quæ est per Christum: potior est enim qui salvat eo quod salvatur. *Hieronymus* (circa princ. Comment. in Matth.) Ordo etiam præposterus, sed necessario commutatus. Si enim primum posuisset Abraham, & postea David, rursus ei repetendus fuisset Abraham, ut generationis series terneretur. *Chrysofomus* super Matth. (hom. 1. in op. imperf. parum à princ.) Altera autem ratio est, quia regni dignitas major est quam naturæ: nam est Abraham (1) præcedat in tempore, David præcedebat in dignitate. *Glossa.* (a) Quia vero ex hoc titulo apparet totum hunc librum conscribi de Jesu Christo, necessarium est præcognoscere quid sit sentiendum de ipso: sic enim melius exponi (2) poterunt quæ in hoc libro de eo dicuntur. *Augustinus* de Quæst. Evang. (Lib. 5. cap. 45.) Error autem hæreticorum de Christo tribus generibus terminatur: aut de divinitate, aut de humanitate, aut de utroque falluntur. *Augustinus* de Hæc. (cap. 8. & 10.) Cerintus ergo, & Ebion Jesum Christum hominem tantum fuisse dixerunt; quos secutus Paulus Samosatenus, Christum non semper fuisse; sed ejus initium, ex quo de Maria natus est, asseverat: nec enim aliquid amplius quam hominem putat; & hæc hæresis postea à Photino confirmata est. *Athanasius* contra hæreticos: (b) Joannes autem Apostolus istius insaniam longe ante Spiritu Sancto conspiciens; eum alto imperitiæ sopore demersum suæ vocis præconio excitat dicens (cap. 1.) „In principio erat Verbum.“ Ei ergo quod in principio erat apud Deum, non relinquitur in novissimo tempore ut originis suæ ab hominè principium sumpserit. Item inquit (cap. 17.) „Pater glorifica me illa gloria quam habeo „bui apud te priusquam mundus fieret.“ Audiatur Photinus, eum gloriam ante principium (3) possedisse. *Augustinus* de Hæres. (cap. 19.) Nestorii autem perversitas fuit, ut hominem tantummodo ex Beata Maria Virgine genitum prædicaret, quem Verbum Dei non in unitate persone, & in societatem inseparabilem receperit: quod catholicorum aures nequam ferre potuerunt. *Cyrillus Alex.* ad Monacos Egypti (c) (epistola 1. circa med.) Ait enim Apostolus (Phil. 2.) de Unigenito,

(1) *Al.* præcedebat. (2) *Al.* potuerunt. (3) *Al.* possidere. (4) *Al.* ad Archipresbyterum.

Ex edit. P. Nicol. (a) Nihil tale in Glossa quæ nunc extat. (b) Nullibi occurrere potuit, est accurate quaesitum. (c) Refertur in Concil. Ephesino cui Cyrillus præfuit, part. 1. plenius quam hic, & multis interjectis, quæ planiorem sensum reddunt. (d) Sea Idorus Pelusiota Lib. 4. epist. 166. ad Archivium sub finem; non sicut prius ad Atribium. (e) Jam notatum est non occurrere, quambis accurate quaesitum; præsertim vero in tractatibus omnibus qui adversus hæreses, vel hæreticos inscribuntur.

quod „cum in forma Dei esset, non rapinam „arbitratus est esse se æqualem Deo.“ Quis est ergo ille qui est in forma Dei? Aut quomodo exinanitus est, & descendit ad humilitatem secundum hominis formam? Et quidem si prædicti hæretici in duo dividentes Christum, idest in hominem, & Verbum, hominem dicunt sustinuisse exinanitionem; separantes ab eo Dei Verbum: præostendendum est, quia in forma, & æqualitate intelligitur, & fuit Patris sui, ut exinanitionis sustineret modum. Sed nihil creaturarum est, si secundum propriam intelligatur naturam, in Patris æqualitate: quomodo ergo exinanitus dicitur, & ex qua eminentia ut esset homo descendit? Aut quomodo intelligitur assumpsisse tamquam non habens in principio servam formam? Sed ajunt, quod Verbum Patri æquale existens habitabit in homine nato per mulierem: & hæc est exinanitio. Certe audio Filium dicentem sanctis Apostolis (Joann. 14.) „Si quis diligit me, verbum meum custodiet: „& Pater meus diliget eum; & ad eum veniet „mus, & mansionem apud eum faciemus.“ Audis quomodo in eis qui se diligunt, se, & sibi cohabitare dicit Deum Patrem? Putas ergo ipsum exinanitum, & vacuatum dabimus, & servi formam accepisse, quia in diligentem se animabus facit mansionem? Quid autem Spiritus habitans in nobis, putatis, & ipse humanationis dispensationem adimplet? *Abbas Idorus* (4) ad Atribium presbyterum (d) (epist. 41.) Verum ne universa annumeremus, unum, ad quod universa intendunt, dicemus, quia, illum qui Deus erat, humilia loqui, & dispensativum simul, & utile est, & nihil inviolabilitate præjudicat; eum verum qui homo est, divina, & supernaturalia quædam loqui summæ præsumptionis est malum: nam Regi quidem licet etiam & humiliter agere, militi vero non licet imperiales voces emittere. Si igitur Deus erat humanatus; etiam humilia locum habent; si vero homo tantum erat, excelsa non habent locum. *Augustinus* de Hæres. (cap. 41.) Sabellicum discipulum Noeti quidam perhibent; qui dicebat Christum eundem & Patrem, & Spiritum Sanctum. *Athanasius* contra Hæret. (e) Hujus autem insanissimi furoris audaciam caelestium testimoniorum auctoritate frenabo;

ad demonstrandam proprietate substantiæ Filii personam; non illa quæ homini suscepto congruere cavillatur, assumens; sed illa in medium proferens testimonia quæ sine ullo ancipiti intelligentiæ scrupulo divinitati ejus competere omnes pariter consentunt. In Genesi enim (cap. 3.) Deum dixisse legitur: „Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.“ Ecce pluraliter dicit, Faciamus; alium videlicet indicans ad quem loquentis factus est fermo. Si unus est, ad imaginem suam fecisse diceretur; nunc autem alius, & alterius imaginem apertius fecisse describitur. *Glossa* (ex Aug. de Hæresibus) Alii vero veram Christi humanitatem negaverunt. Valentinus enim dixit, Christum à Patre missum spiritale vel cæleste corpus attulisse; nihilque assumpsisse de Maria Virgine, sed per illam tamquam per rivum, aut fistulam sine assumpta carne transisse. (Contra Faustum Lib. 20. cap. 7.) Nos autem non ideo credimus natum ex Maria Virgine, quod aliter in vera carne existere, atque hominibus apparere non possit; sed quia sic scriptum est in ea Scriptura cui nisi crederimus, nec Christiani, nec salvi esse poterimus. Si autem de cælesti, vel aërea, vel humida creatura corpus assumptum, vellet commutare in humanæ carnis vestissimam qualitatem, hoc eum potuisset facere quis negaret? *Augustinus* de Hæres. (cap. 46.) Manichæi vero dixerunt, phantasma esse Dominum Jesum Christum, nec femineo posse nasci ex utero. *Augustinus* Lib. 83. Q. 9. (quæst. 13.) Sed si phantasma fuit corpus Christi, fessellit Christus; & si fallit, veritas non est: est autem veritas Christus: non ergo phantasma fuit corpus ejus. *Glossa*. (b) Et quia principium hujus Evangelii, & etiam Evangelii secundum Lucam manifeste ostendit Christum natum ex femina, ex quo apparet vera Christi humanitas: ergo utriusque Evangelii principia negant. *Augustinus* contra Faustum (Lib. 2. cap. 1. Unde Faustus dicit: Evangelium quidem à prædicatione Christi & esse coepit, & nominari, in quo ipse nusquam se natum ex hominibus dicit. At vero genealogia (1) adeo non est Evangelium, ut nec ejus scriptor ausus fuerit eam Evangelium nominare. Quid enim scribit? *Liber generationis Jesu Christi filii David*, non ergo *Liber Evangelii Jesu Christi*, sed *Liber generationis*. At vero Marcus, quia generationem scribere non curavit, sed tantum prædicationem Filii Dei, quod est Evangelium, vide quam competenter, sit exorsus? „Evangelium (inquit) Jesu Christi Filii Dei:“ ut hinc

(1) *Al.* à Deo. (2) *Al.* respondet. (3) *Al.* medius.
(a) Ex edit. P. Nicol. Nec in Glossa quæ nunc est, nec alibi occurrit.

fatis appareat genealogiam non esse Evangelium: namque & in ipso Matthæo (cap. 4.) post inclusum Joannem in carcere, tunc legitur, Jesum coepisse prædicare Evangelium regni: ergo quicquid ante hoc narratur, genealogiam esse constat, non Evangelium. (Lib. 3. contra Faustum cap. 1.) Ad Joannem ergo, & Marcum me contuli, quorum mihi principia non immerito placuerunt: quia nec David, nec Mariam inducunt, nec Joseph. Contra quem *Augustinus*: Quid ergo (2) respondebit Apostolo dicenti (E. Tim. 2.) „Memor esto Jesum Christum,“ resurrexisse à mortuis, ex femine David, secundum Evangelium meum? „Quod autem erat Apostoli Pauli Evangelium, hoc etiam ceterorum Apostolorum, & omnium fidelium: hoc enim alibi dicit (1. Corinth. 15.) „Sive ego,“ sive illi Evangelium prædicaverunt.“ *Augustinus* de Hæres. (cap. 49.) Arriani autem Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum volunt esse unius ejusdemque substantiæ, naturæ, aut existentia; sed esse Filium creaturam Patris, Spiritum vero Sanctum creaturam creature; hoc est, ab ipso Filio creatum volunt: Christum etiam sine anima carnem suscepisse arbitrantur. *Augustinus* 1. de Trinit. (cap. 6. circa princ.) Sed Joannes in eo declarat Filium non tantum Deum esse, sed etiam ejusdem cum Patre substantiæ, quia cum dixisset, „Et Deus erat Verbum,“ addidit: „Omnia per ipsum facta,“ sunt: „unde apparet ipsum factum non esse, per quem facta sunt omnia: & si factus non est, creatus non est: & sic ejusdem cum Patre substantiæ est: omnis enim substantia quæ Deus non est, creatura est. *Augustinus* contra Felicianum (cap. 13. post medium.) Nescio enim quid nobis mediatoris persona contulerit, qui (3) melius nostrum non redimens, carnem, quæ sine anima, nec beneficium possit sentire, suscepit. Si enim venit Christus salvum facere quod perierat, quia totus homo perit, totus beneficio Salvatoris indiget: & ideo, Christus veniendo, totum salvat, corpus, & animam assumendo. *Augustinus* in Lib. 83. Q. 9. (quæst. 80. circa medium.) Quomodo etiam ipsi respondent tam manifestis objectionibus ex evangelica Scriptura, in qua contra eos Dominus tam multa commemorat? ut est illud (infra 26.) *Tristis est anima mea usque ad mortem*; & (Joan. 10.) „Potestatem habeo ponendi animam meam,“ & multa hujusmodi: qui si dicant in parabola eum locutum esse, habemus Evangelistarum rationes, qui res gestas narrantes sicut eum corpus habuisse testantur, sic eum indicant habere

animam per affectiones, quæ non possunt esse nisi in anima: eis enim narrantibus legitur: Et miratus est Jesus, & iratus, & multa hujusmodi. *Augustinus* de Hæres. (cap. 55.) Apollinaria autem, sicut Arriani, Christum dixerunt carnem solam sine anima suscepisse. In qua questione testimonium ejusdem victi, mentem, quæ rationalis est anima hominis, desuisse animæ Christi, sed pro hac ipsum Verbum in ea fuisse dixerunt. *Augustinus* in Lib. 83. Q. 9. (quæst. 80. in princ.) Sed si ita est, beluam quardam cum figura humani corporis Dei Verbum suscepisse crederetur. *Augustinus* de Hæres. (cap. 55.) De ipsa vero ejus carne sic à recta fide dissensibile perhibetur ut dicerent, carnem illam, & Verbum unius ejusdemque substantiæ esse, contentiosissime asseverantes Verbum carnem factum; hoc est, Verbi aliquid in carnem fuisse mutatum, atque conversum, non autem carnem de Mariæ carne suscepisse. (1) *Cyillus* in epist. 28. ad Joannem Antioch. Furere autem arbitramur eos qui suspicati sunt, quod mutationis obumbratio circa divinam Verbi naturam potest contingere: manet enim quod est semper, & non mutatur, nec conversionis est capax. *Leo* ad Constantinopol. (epist. 23. parum à fine: incipit, „Licet de his.“) Nos autem non ita dicimus Christum hominem ut aliquid ei desit quod ad humanam certum est pertinere naturam, sive animam, sive mentem rationabilem, sive carnem, quæ non de femina sumpta sit, sed facta de Verbo in carnem converso atque mutato. Quæ (2) ter falsa Apollinaria hæresis tres varias protulit partes. *Leo* ad Palast. (epist. 83. parum post initium: incipit „Solicitudini meæ.“) Eutiches quoque tertium Apollinaris dogma delegit, ut negata humanæ carnis, atque animæ veritate, totum Dominum nostrum Jesum Christum unius assereret esse nature, tamquam Verbi divinitas ipsa se in carnem, animamque verteret, & concipi, nasci, aut nutrir, & cetera hujusmodi, ejus tantum essentia fuerit, scilicet divinæ, quæ nihil horum in se sine carnis recepit veritate: quoniam natura Unigeniti, natura est Patris, natura est Spiritus Sancti, simulque impassibilis, & sempiterna. Verum si (3) ab Apollinaris pervertit hæreticus iste (4) decesserit, ne convinceretur, deitatem passibilem sentire, atque mortalem, & tamen Verbi incarnati, id est Verbi & carnis unam audet pronuntiare naturam; non dubie in Manichæi, & Marcionis transit insaniam, & Dominum Jesum Christum simulatorie omnia credit egisse; nec humanum ipsum

sum corpus, sed phantasticam corporis speciem oculis apparuisse certentium. (5) *Idem* ad Julianum (epist. 11. à medio.) In eo vero quod Eutiches in episcopali judicio adus est dicebat ante incarnationem duas fuisse in Christo naturas, post incarnationem autem unam, necessarium fuit ut ad reddendam rationem professionis suæ sollicitis interrogationibus urgeretur. Arbitror enim eum talia loquentem hoc habere persuasum quod anima quam Salvator assumpsit, prius in cælis sit commorata quam de Maria Virgine nasceretur. Sed hoc catholice mentes, aureque non tolerant: quia nil secum Dominus de cælo veniens nostræ conditionis exhibuit: nec animam ejus, quæ antior extitisset, nec carnem, quæ non materni corporis esset, accepit. Unde quod in Origene merito damnatum est, qui animarum antequam corporibus infererentur non solum miras, sed & diversas fuisse asseruit actiones, necesse est quod in isto plectatur. *Remigius*. Has igitur hæreses in principio Evangelii sui Evangelistæ destruerunt: nam Matthæus cum narrat eum duxisse originem per Reges Judæorum, verum hominem eum ostendit, & veram carnem habuisse. Similiter & Lucas, qui sacerdotalem stirpem, & personam describit. Marcus autem, cum ait, „Initium Evangelii Jesu Christi Filii Dei:“ & Joannes cura ait, „In principio erat Verbum,“ manifestant eum ante omnia sæcula semper fuisse Deum apud Deum Patrem. *Al.*

(b) *Augustinus* de Conf. Evang. (Lib. 2. cap. 4. post medium.) Matthæus Evangelista ostendit generationem Christi secundum carnem se suscepisse narrandam, quia genealogiam Christi exorsus est. Lucas autem tamquam sacerdotem in expandis peccatis magis assignans, non ab initio Evangelii sui, sed à baptismo Christi generationes enarrat, ubi testimonium Joannes perhibuit dicens (Joan. 1.) „Ecce qui tollit peccata mundi.“ In generationibus etiam Matthæi significatur nostrorum susceptio peccatorum à Domino Christo. In generationibus autem Lucæ significatur abolitio nostrorum peccatorum ab ipso: ideo generationes Christi Matthæus descendens enarrat, Lucas autem ascendens. Humanam autem Christi generationem Matthæus descendendo descendens, ab Abrahami generatione commemorat. *Ambrosius* super Lucam (cap. 3. parum à princ.) Prior enim Abraham meruit fidei testimonium: quia credidit Deo, & reputatum est ei ad justitiam (Gen. 15.) Ideo etiam auctor generis debuit significari, quia instaurandæ Ecclesiæ sponsonem

S. Thom. Oper. Tom. VIII.
(1) *Al.* additur conversam, atque mutatum, non autem in carnem de Maria susceptam.
(2) *Al.* tria. (3) *Al.* deest. ab. (4) *Al.* decesserit. (5) *Al.* Leo Papa ad Palast. *bono*

etiam Moabitibus Esaiæ expetere vaticinium dicentis (cap. 26.) „ Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ de petra deserti ad montem filie Sion. “

Sequitur: *Obeth autem genuit Jesse. Glossa* (ordinaria super hoc verbo.) Jesse pater David binomius est, quia frequentius vocatus est Isai. Sed quia Propheta vocat eum non Isai, sed Jesse, dicens (Esai. 11.) „ Egredietur virga de radice Jesse; ut ostenderet illam prophetiam completam in Maria, & in Christo, Evangelista posuit Jesse.

Sequitur: *Jesse autem genuit David Regem. Remigius.* Sed quaerendum est quare sanctus Evangelista solum David nominaverit Regem: quod ideo dixit, ut ostenderet eum primum fuisse Regem in tribu Juda. Ipse autem Christus est Phares divisor, ut est illud (infra 25.) *Dividet agnos ab hædis*; est & Zaram oriens, ut est illud (Zach. 6.) „ Ecce vir, oriens nomen ejus; “ est Efron sagitta, ut est illud (Esai. 49.) „ Posuit me sicut sagittam electam. “ *Rabbanus.* Vel (1) alterum propter abundantiam gratiæ, & laudinem caritatis. Aram electus, secundum illud (Esai. 42.) „ Ecce puer meus, electus: “ vel excelsus secundum illud (Psal. 112.) „ Excelsus super omnes gentes Dominus. “ Ipse est Aminadab, idest voluntarius, qui dicit (Psal. 53.) „ Voluntarie sacrificabo tibi. “ Idem est & Naasson, idest augurium, qui novit præterita, præsentia, & futura. Vel serpentinus, secundum illud (Joan. 3.) „ Moyses exaltavit serpentem in deserto. “ Est & Salmon, idest sensibilis qui dicit: Ego sensi de me virtutem exiisse. *Glossa.* Ipse accipit Rahab idest Ecclesiam de Gentibus: Rahab enim tamens, vel latitudo, vel impetus: quia Ecclesia Gentium esurit, & sitit justitiam; & impetu doctrinæ Philosophos & Reges convertit. Ruth etiam interpretatur videns, vel festinans; & significat Ecclesiam, quæ puro corde videt Deum, & festinat ad bravium supernæ vocationis. *Remigius.* Est & Booz, in quo robur, ut est illud (Joan. 12.) „ Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me. “ Est & Obeth serviens ut est illud (infra 20.) *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Est & Jesse incensum, secundum illud (Luc. 12.) „ Ignem veni mittere in terram. “ Ipse est David manu fortis, secundum illud (Psal. 23.) „ Dominus fortis, & potens: “ desiderabilis, secundum illud (Aggæi 2.) „ Veniet desideratus, tunc cunctis gentibus: “ pulcher aspectu, se-

cundum illud (Psal. 44.) „ Speciosus forma, præ filiis hominum. “ *Glossa.* (a) Interim videamus quas virtutes isti patres in nobis ædificant: quia fides, spes, & caritas omnium virtutum sunt fundamentum. Sequentes virtutes sunt quasi superadditiones. Judas interpretatur confessio. Duplex est autem confessio: est altera fidei, altera peccatorum. Si ergo post tres supradictas virtutes peccatur, necessaria est non solum fidei, sed peccatorum confessio. Post Judam sequitur Phares, & Zaram. Phares diviso, Zaram oriens interpretatur, & Thamar amaritudo. Confessio enim generat divisionem à vitis, & ortum virtutum, & amaritudinem poenitentiae. Post Phares sequitur Efron, qui sagitta interpretatur: postquam enim aliquis divisus est à vitis, & secularibus, debet fieri sagitta, ut in aliis vitia prædicando perimat. Sequitur Aram, qui interpretatur electus, vel excelsus: quia postquam aliquis à mundo remotus est, & aliis proficit, necesse est ut Deo electus, hominibus celebris, excelsus in virtutibus habeatur. Naasson interpretatur augurium: hoc autem augurium non est faculare, sed celestis. De hoc gloriabatur Joseph, fratribus mandans (Gen. 44.) „ Vos detulistis scyphum domini, me in quo augurari solebat. “ Scyphus est divina Scriptura, ubi est potus sapientiæ: in hac auguratur sapiens, quia ibi videt futura, idest caelestia. Sequitur Salomon, idest sensibilis, postquam enim aliquis studet in divina Scriptura, fit sensibilis, idest discernens gustu rationis, quid bonum, quid malum, quid dulce, quid amarum. Sequitur Booz, idest fortis; instructus enim in Scripturis, fit ad omnia adversa toleranda fortis. *Chrysostomus* super Matth. (hom. 1. in op. imperfecto) Iste autem fortis est filius Rahab, idest Ecclesiae: Rahab enim interpretatur latitudo, vel dilatata: quia enim ex omnibus finibus terræ vocata est Ecclesia (2) Gentium, latitudo appellatur. *Rabbanus.* (b) Sequitur Obeth, idest servitus: non enim idoneus ad servitutem nisi qui fortis est: quæ servitus generatur ex Ruth, idest festinantia: oportet enim promptum esse servum, non pigrum. *Chrysostomus* super Matth. (hom. 1. in op. imperf.) Nunc autem qui divitias, & non mores, pulchritudinem, & non fidem, & quod in metricibus quæri solet, hoc in conjugibus optant, non generant subditos filios vel sibi, vel Deo, sed contumaces & contra se, & contra Deum: ut filii eorum sint pœna irreligiositatis eorum. Iste Obeth genuit Jesse, idest refrige-

(1) Pater Nicol. habet atrium. (2) Al. ideo gentium latitudo appellatur.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Sive Anselmus. (b) Glossa, sive Anselmus. Tam Glossæ, quam Anselmi nomine prætermisso, prius confundebantur cum Chrysostomi verbis.

rum: nam quicumque est subditus Deo, & parentibus suis, tales filios generat, Deo præstante, à quibus refrigeratur. *Glossa.* (a) Vel Jesse, idest incensum. Si enim servimus ex amore, & timore, erit devotio in corde, quæ ex igne, & desiderio cordis, suavissimum incensum offert Deo. Postquam autem aliquis idoneus est servus, & sacrificium Deo factus, sequitur ut sit David, idest manu fortis, qui contra hostes fortiter dimicavit, & Idumæos tributarios fecit. Similiter ipse debet (1) carnales, idest homines, verbo, & exemplo Deo subjungere.

(d) *Glossa.* (b) Secundi (2) quaterdenarii generationis seriem Evangelista decurrit, quæ à Regibus continetur; & ideo à David incipit, qui primus in tribu Juda regnavit, dicens: *David Rex genuit Salomonem ex ea qua fuit Uria.* *Augustinus* de Conf. Evang. (Lib. 2. cap. 4. à med.) Quia enim in generationibus Matthæi significatur nostrorum susceptio peccatorum, ideo ipse à David per Salomonem descendit, in cuius matre ille peccavit. Lucas vero ad David per Natham ascendit, per quem Prophetam Deum peccatum illius expiavit: quia in generationibus Lucae significatur abolitio peccatorum. *Augustinus* in Lib. Retract. (Lib. 2. cap. 16.) Dicendum tamen fuit (3) per cuius nominis Prophetam: ne putaretur idem fuisse homo, cum alter fuerit; quamvis & ipse hoc nomine vocaretur. *Remigius.* Quaerendum est autem quare Evangelista Bersabee proprio nomine non nominavit sicut ceteras mulieres. Quod ideo est, quia ceteræ mulieres quamvis reprehensibiles fuissent, tamen laudabiles erant virtutibus. Bersabee vero non solum fuit conscia adulterii, sed etiam homicidii mariti sui: & ideo proprio nomine eam non nominavit in genealogia Domini. *Glossa.* (c) Tacet etiam nomen Bersabee, ut nominando Uriam reducat ad memoriam illud maximum scelus quod in eum fecit. *Ambrosius* super Lucam (cap. 3. à medio.) At vero sanctus David in eo est præcellentior quod hominem se ipse cognovit, & commissum super arrepta Uriæ uxore peccatum poenitentiae curavit lachrymis ablundum; offendens nobis nomen propriæ virtuti debere considerare: habemus enim adversarium magnum, qui vinci à nobis sine Dei adiutorio non possit. Et plerumque in illustribus viris gravia peccata reperies, ut quasi homines tentationi potuisse succumbere cognoscas, ne virtutibus egregiis plusquam homines crederentur. *Chrysostomus* super Matth. (hom. 1. in op. imperf.) Salomon autem inter-

pretatur pacificus, quoniam omnibus in circuitu gentibus pacificatus, & tributa reddentibus, (4) pacificum habuit regnum. *Salomon autem genuit Roboam.* Roboam interpretatur à multitudine populi. Multitudo enim mater est seditionis; quia quod à pluribus peccatur, plerumque manet invindicabile. Paucitas autem magistra est disciplina. *Hieronymus.* In quarto autem Regum volumine legimus, de Joram, Ochoziam fuisse generatum. Quo mortuo, Josabeth filia Joram Regis, foras Ochoziam tulit Joas filium fratris sui, & eum interecioni, quæ exercebatur ab Athalia, subtraxit. Cui successit in regnum filius ejus Amasias: post quem regnavit filius ejus Azarias, qui appellatur Ozias; cui successit Joatham filius ejus. Cernis ergo quod, secundum fidem historiarum, tres Reges in medio fuerunt, quos Evangelista prætermisit. Joram quoque non genuit Oziam, sed Ochoziam, & reliquos quos numeravimus. Verum quia Evangelista propositum erat thesaurum decedens, in diverso temporis statu ponere, & quia Joram generi se miscuerat impiissimæ Jezabelis, idcirco usque ad tertiam generationem ejus memoria tollitur, ne in sanctæ nativitatis ordine poneretur. *Hilarius* (in Matth. canon. 1. parum ante med.) Purgata vero labe familiæ gentilis, jam regalis in quarta generationum consequentium origo numeratur. *Chrysostomus* super Matth. (hom. 1. oper. imperf.) Quod Spiritus Sanctus per Prophetam confitatus est, dicens, ut dispergeret omnem masculum de domo Achab, & Jezabel, implevit Jehu filius Namî, & accepit promissionem, ut usque ad quartam generationem secedant filii ejus in sede regni supra Israel. Quanta ergo benedictio facta est super Jehu, qui vindictam fecerat super domum Achab, tanta maledictio facta est super domum Joram propter filiam iniqui Achab, & Jezabel, ut usque ad quartam generationem prædicantur filii ejus de Regum numero, & sic peccatum ejus descendit in filios ejus: sicut fuerat scriptum (Exod. 29. & 34.) „ Reddam peccata patrum, in filios, usque ad tertiam & quartam generationem. “ Videte ergo quam periculosum est inire conjugia ex genere impiorum. *Augustinus* de Quæst. nov. & veteris testamenti (quæst. 85.) Vel non immerito sublati sunt de numero ceterorum Ochozias, Joas, & Amasias. Sic enim eorum continuavit impietas ut nullum intervallum haberet. Salomon autem merito patris dimissus in regno est; Roboam autem merito filii; illi autem tres maligne agentes (5) erant

D

sunt

(1) Forte carnales homines. (2) Al. quaterdenarii. (3) Al. deest per. (4) Al. pacificatum. (5) Al. sublati.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Sive Anselmus. (b) Sive Anselmus. (c) Sive Anselmus.

funt. Ad perditionem enim generis exemplum est quando jugiter malignitas panditur.

Sequitur: *Ozias autem genuit Joatham. Joatham autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam.* *Glossa.* Cui cum esset sine liberis, dictum est (Esaï. 38.) „Dispone domui tuæ, quia moriturus es.“ Ideo flevit, non propter longiorem vitam, cum sciret inde Salomonem placuisse Deo, quod non petisset ampliores annos; sed quia dubitabat ne promissio Dei impleteretur, cum se sciret esse de David, per quem oportebat venire Christum; & ipse erat sine liberis.

Sequitur: *Ezechias autem genuit Manasse. Manasse autem genuit Amon. Amon autem genuit Josiam. Josias autem genuit Jechoniam, & fratres ejus in transmigrationem Babylonis.* *Chrysofomus* super Matth. (hom. 1. in op. imperf.) Sed non sic positum est in Libro Regum, ubi talis est ordo (Lib. IV. cap. xxxi.) „Josias genuit Eliachim.“ Postea vocatum Joakim. Joakim autem genuit Jechoniam: „Sed Joakim sublatu est de numero Regum, quia non populus Dei constituerat eum in regnum; sed Pharaö per potentatum. Si enim justum fuit ut propter solam commixtionem generis Achab, tollerentur tres Reges de numero Regum; quare non erat justum ut similiter tolleretur Joakim, quem Pharaö vi hostili fecerat Regem? Et sic Jechonias, qui est filius Joakim, nepos autem Josias, sublatu patre de numero Regum, ipse est positus pro eo, quasi filius Josias. *Hieronymus.* Vel aliter. Sciamus Jechoniam priorem ipsum esse (1) qui Joakim, secundum autem filium, non patrem: quorum primus per k & m, secundus per ch. & n scribitur. Quod scriptorum vicio, & longitudine temporum apud Græcos Latinoque confessum est. *Ambrosius* super Lucam (cap. 11. aliq. ante finem.) Duos enim fuisse Joakim; Regnorum Libri indicant: sic enim scriptum est (IV. Reg. 24.) „Dormivit Joakim cum patribus suis; & regnavit Joachin filius ejus pro eo.“ Filius autem est cui Hieremias nomen imposuit Jechoniam. Et bene S. Matthæus à Propheta voluit discrepare, ut non Joachin, & jechoniam vocaret simul, quia majorem fructum dominicæ pietatis astruxit. Generis enim nobilitatem Dominus in hominibus non requirit; sed de captivis, & peccatoribus congrue nasci voluit qui remissionem veniebat predicare captivis. Non igitur suppressit alterum Evangelista; sed utrumque significavit, quod uterque Jechonias dictus sit. *Remigius.* Sed quæri potest quare dicat Evangelista eos natos in transmigratione; cum nati fuissent

antequam transmigratione fuerit facta. Ideo autem dicit hoc, quia ad hoc nati sunt ut de regno totius populi pro suis, & aliorum peccatis captivi ducerentur. Et quia præcisus erat Deus eos ducendos captivos, idcirco dixit eos natos in esse transmigratione. De his autem quos Sanctus Evangelista in genealogia Domini simul ponit, sciendum, quia aut similes fuerunt fama, aut infamia. Judas, & fratres ejus laudabiles fuerunt fama; similiter Phares, & Zara, Jechonias, & fratres ejus notabiles fuerunt infamia. *Glossa* (ordinaria.) Mystice autem David est Christus, qui Gollam, idest diabolum, superavit. *Urias* autem, idest (2) lux mea Deus, est diabolus; qui dicit (Esaï. 14.) „Similis ero Altissimo: cui Ecclesiam conjugatam Christus de solario paternæ majestatis adamavit, & pulchram factam sibi matrimonio copulavit. Vel *Urias*, idest Judaicus populus, qui per legem de luce gloriatur. Sed huic Christus legem abstulit, quam de se loqui docuit. *Bersabee* autem est puteus satietatis, idest abundantia gratiæ spiritualis. *Remigius.* Vel *Bersabee* interpretatur puteus septimus, sive puteus juramenti, per quod significatur fons baptismatis, in quo datur donum Spiritus septiformis, & fit ibi adjuratio contra diabolum. Est & Christus Salomon pacificus, secundum illud Apostoli (Ephes. 11.) „Ipse est pax nostra.“ Est *Roboam* latitudo populi, secundum illud (infra 11.) *Multi venient ab oriente, & ab occidente. Rabbanus.* Vel impetus populi: quia velociter populus convertit ad fidem. *Remigius.* Ipse est *Abias*, idest pater Dominus, secundum illud (infra 23.) *Unus est pater vester qui in caelis est; & iterum* (Joan. 13.) „Vos vocatis me Magister, & Domine.“ Est & *Asa*, idest attollens, secundum illud (ibid. 1.) „Qui tollit peccata mundi.“ Est & *Josaphat*, idest judicans; secundum illud (ibid. 5.) „Pater (3) omne judicium dedit Filio.“ Est & *Joram*, idest excelsus, secundum illud (ibid. 3.) „Nemo ascendit in caelum, nisi qui de caelo descendit.“ Est & *Ozias*, idest robustus Domini, secundum illud (Psal. 117.) „Fortitudo mea, & laus mea Dominus.“ Est & *Joatham* consummatus, vet perfectus, secundum illud Apostoli (Rom. 10.) „Finis legis Christus.“ Est & *Achaz* convertens, secundum illud (Zach. 1.) „Convertimini ad me.“ *Rabbanus.* Vel comprehendens: quia (infra 11.) *nemo novit Patrem nisi Filius. Remigius.* Est & *Ezechias* fortis Dominus, vel Dominus confortavit, secundum illud (Joan. 16.) „Confidite, ego vici mundum

dum.“ Ipse est *Manasses* (1) obliviosus, secundum illud (Ezech. 28.) „Peccatorum vestrorum non recordabor amplius.“ Est & *Amon* fidelis, secundum illud (Psal. 144.) „Fidelis Dominus in omnibus verbis suis.“ Est & *Josias*, ubi est incensum Domini, secundum illud (Luc. 22.) „Factus in agonia, prolixius orabat.“ *Rabbanus.* Quod vero incensum orationem significat, Psalmista testatur, dicens (Psal. 140.) „Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.“ Vel Domini salus, secundum illud (Esaï. 45.) „salus autem mea in sempiternum erit.“ *Remigius.* Ipse *Jechonias* preparans, vel Domini preparatio, secundum illud (Joan. 16.) „Si abiero, & preparavero vobis locum.“ *Glossa* (a) Moraliter autem post David sequitur Salomon, qui interpretatur pacificus. Tunc enim aliquis fit pacificus, motibus sedatis illicitis, & quasi jam in æterna tranquillitate positus, cum Deo servit, & alios ad eum convertit. Sequitur *Roboam*, idest populi latitudo: postquam enim non habet quod in se vincat, amplecti alios debet, & late populum Dei ad superna trahere secum. Sequitur *Abias*, idest pater Dominus: his enim præmissis potest se profiteri Filium Dei, & tunc esse *Asa*, idest attollens, ut de virtute in virtutem ad patrem suum ascendat; & tunc erit *Josaphat*, idest judicans, ut alios judicet, & à nemine judicetur. Ita fit *Joram*, idest excelsus, quasi in caelestibus habitans: unde efficitur *Ozias*, idest robustus Domini, quasi robur suum Deo attribuens, & in suo proposito perseverans. Et sequitur *Joatham*, idest perfectus: quia quotidie in majus proficit. Et sic fit *Achaz*, idest comprehendens: ex operatione enim augmentatur agnitio, secundum illud (Psal. 63.) „Annuntiaverunt opera Dei, & facta ejus intellexerunt.“ Sequitur *Ezechias*, idest fortis Dominus: quia Deum fortem esse intelligit; & ideo in amorem ejus conversus fit *Manasses*, idest obliviosus, temporalia tradens oblivioni; & ex hoc fit *Amon*, idest fidelis: qui enim temporalia contemnit, neminem in re sua defraudat. Et sic fit *Josias*, idest salutem Domini secure expectans: *Josias* enim salus Domini interpretatur.

(f) *Chrysofomus* super Matth. (hom. 1. in op. imperf.) Post transmigrationem inter privatas personas primo ponit Jechoniam quasi privatum, & ipsum. *Ambrosius* super Lucam (cap. 3. inter med. & fin.) De quo Hieremias (22.) dicit: „Scribe virum istum abdicatum: non exurget ex semine ejus sedens in

throno David.“ Quomodo autem ex semine Jechonias nullus regnaturus dicitur per Prophetam? Si enim Christus regnavit, ex semine autem Jechonias Christus est; Propheta mentitus est. Sed illic futurus ex semine Jechonias non negatur; & ideo de semine ejus Christus est; & quod regnavit Christus, non contra Prophetam est: non enim sæculari honore regnavit: ipse enim dixit (Joan. 19.) „Regnum meum non est de hoc mundo.“

Jechonias autem genuit Salathiel. *Chrysofomus* super Matth. (hom. 1. in op. imperf. à medio.) De *Salathiel* quidem nihil legitimus vel boni, vel mali; tamen putamus sanctum eum fuisse, & in captivitate assidue Deum petiisse pro ipsa calamitate quæ contingerat Israel: ideo petitionem Dei eum appellatum fuisse: interpretatur enim petitio Dei. *Salathiel autem genuit Zorobabel*, qui interpretatur fluitio postposita, vel ex commixtione. Vel hic doctor Babylonice. (2) Legi (si verum est nescio) quia sacerdotale, & regale genus mixtum est in *Zorobabel*. (3) Propter istum autem appellatum fuisse: interpretatur enim petitio Dei. *Salathiel autem genuit Zorobabel*, qui interpretatur fluitio postposita, vel ex commixtione. Vel hic doctor Babylonice. Quæ enim major doctrina quam ostendere veritatem dominicæ esse omnium rerum? *Glossa* (ordinaria.) Sed hoc videtur esse contrarium generationi quæ legitur in Paralipomenon. Dicitur enim ibi, Jechonias genuisse *Salathiel*, & *Phadaja*, & *Phadaja* *Zorobabel*, & *Zorobabel* *Mosollam*, & *Ananiam*, & *Salomith* sororem eorum. Sed scimus multa in Paralipomenon vicio scriptorum depravata. Unde multæ, & indeterminate genealogiarum veniunt quæstiones, quas jubet Apostolus evitari. Vel potest dici, *Salathiel*, & *Phadaja* eundem esse, quasi binomium. Vel *Salathiel*, & *Phadaja* fratres esse, & filios ejusdem nominis habuisse; & historiographum secutum fuisse generationem *Zorobabel* filii *Salathiel*. De *Abiud* usque ad *Joseph* nulla historia invenitur in Paralipomenon; sed alii multi annales leguntur fuisse apud *Hebraeos*, qui dicebantur *Verba dierum*, de quibus *Herodes Rex* alienigena dicitur multus combussisse, ut ordo regni stirpis confundere-tur. Et forsitan *Joseph* nomina parentum ibi legerat, vel alio quoquo modo retinuerat. Unde Evangelista seriem istius generationis poterat scire. Notandum tamen, quod prior Jechonias

Do-

(1) Al. oblivionis. (2) Al. Legitur. (3) Al. desit Propter istum.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Vel potius Anselmus, ut jam supra, cum nec in Glossa, qualis modo est, extet.

(1) Al. quam. (2) Al. luxuria, idest diabolus, &c. (3) Al. omittitur Pater.

Domini resurrectio, sequens Domini preparatio dicitur. Utrumque autem convenit Domino Christo, qui dicit (Joan. 11.) „Ego sum resurrectio, & vita;“ & (ibid. 14.) „Vado parare vobis locum.“ Salathiel, idest petitio mea Deus, illi convenit qui dicit (ibid. 17.) „Pater sancte, serva illos quos dedisti mihi.“ Remigius. Est etiam Zorobabel, idest magister confusio, secundum illud (infra 9.) *Magister vester cum publicanis, & peccatoribus manducabat.* Ipse est Abiud, idest pater meus iste, secundum illud (Joan. 10.) „Ego, & Pater unum sumus.“ Est & Eliacim; idest Deus resuscitans, secundum illud (ibid. 6.) „Resuscitabo eum in novissimo die.“ Est & Azor, idest adjutus, (1) secundum illud (ibid. 8.) „Qui me misit, mecum est.“ Ipse est & Sadoch justus, sive iustificatus, secundum illud (I. Petr. 3.) „Traditus est justus pro injustis.“ Est & Achim, idest frater meus iste, secundum illud (infra 12.) *Qui fecerit voluntatem Patris mei, hic meus frater est.* Est etiam Eliud, idest, Deus meus iste, secundum illud (Joan. 20.) „Deus meus, & Dominus meus.“ *Glossa* (ordinaria.) Est & Eleazar, idest Deus meus adjutor, (2) secundum illud Psalm. 17. „Deus meus adjutor meus.“ Est & Mathan, idest donans, vel donatus, secundum illud (Ephes. 4.) „Dedit dona hominibus;“ & (Joan. 3.) Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum daret unigenitum. „Remigius. Est & Jacob supplantans: quia non solum ipse supplantavit diabolus, sed & hujus potestatem suis (3) fidelibus dedit, secundum illud (Luc. 10.) „Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes.“ Est & Joseph, idest apponens, secundum illud (Joan. 10.) „Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant.“ *Rabbanus* (a) Sed videamus quid moraliter isti patres significant: quia post Jechoniam, qui dicitur preparatio Domini, sequitur Salathiel, idest petitio mea Deus: qui enim preparatus est non petit nisi solum Deum. Sed iterum fit Zorobabel, idest magister Babylonis, scilicet terrenorum hominum, quos facit cognoscere de Deo quod pater est, quod sonat Abiud: & tunc ille populus resurgit à vitiliis: unde sequitur Eliacim, qui resurrectio interpretatur; (4) & idem ad bene operandum adjutus, quod sonat Azor, fit Sadoch, idest justus; & tunc dicit fidelis per dilectionem proximi. Ipse est frater meus, quod sonat Achim;

(1) *Al.* deest secundum illud. (2) *Al.* deest sequens sententia Psalm. (3) *Al.* filiis. (4) *Al.* & idem, & bene operandum ab intrus. (5) *Al.* ad suscitandum fratris semen acceperat.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Vel potius Anselmus: nam Rabbanus de Christo tantum allegorice interpretatur, nec horum quidquam habet.

& per dilectionem Dei dicit, Deus meus, quod sonat Eliud; & sequitur Eleazar, idest Deus meus adjutor, quia recognoscit Deum suum adjutorem. Ad quid autem tendit, ostendit Mathan, qui dicitur donum, vel donans: exspectat enim Deum datorem; & sicut luctatus est in principio, & vitia supplantavit sic & in fine vite, quod ad Jacob pertinet, & sic pervenit ad Joseph, idest ad augmentum virtutum.

(g) *Glossa.* Post omnes generationes patrum ponit ultimo generationem Joseph viri Mariæ, propter quam omnes alie introducuntur, dicens: *Jacob autem genuit Joseph Hieronymus.* Hunc locum objicit nobis Julianus Augustinus, de dissonantia Evangelistarum: cur Matthæus Joseph filium dixit Jacob, & Lucas filium eum appellaverit Heli; non intelligens consuetudinem Scripturarum, quod alter secundum naturam, alter secundum legem ei pariter sit. Scimus enim hoc per Moysen Deo jubente præceptum (Deut. 25.) ut si frater, aut propinquus absque liberis mortuus fuerit, alius ejus accipiat uxorem, ad suscitandum semen fratris, vel propinqui sui. Super hoc Africanus temporum scriptor, & Eusebius Cæsariensis plenius disputaverunt. Ex *Historia* autem ecclesiastica (in Lib. Daphonia ad Aristidem Lib. I. ecclesiast. Histo. apud Eusebium Cæs. cap. 6. parum ante medium.) Mathan enim, & Melchi diversis temporibus ex una eademque uxore Jesca nomine singulos filios procrearunt: quia Mathan per Salomonem descendit, uxorem eam primum ceperat, & relicto filio uno Jacob nomine defunctus est: post cujus obitum, quoniam lex viduam alii viro non vetat nubere, Melchi, qui per Mathan genus ducit, cum esset ex eadem tribu, sed non ex eodem genere, relictam Mathan accepit uxorem, ex qua ipse suscepit filium nomine Heli, per quos ex diverso patrum genere efficiuntur Jacob, & Heli uterini fratres; quorum alter, idest Jacob, fratris Heli sine liberis defuncti uxorem ex mandato legis accipiens genuit Joseph, natura quidem generis suum filium, propter quod, & scribitur, *Jacob autem genuit Joseph.* Secundum legis vero præceptum, Heli efficitur filius Jacob: quia frater erat, (5) & ad suscitandum fratris semen; uxorem ejus acceperat, & per hoc recta invenitur, atque integra generatio & ea quam Matthæus enumerat, & ea quam Lucas, qui legalem

successionem,

successionem, quæ velut adoptione quadam erga defunctos constat, competenti satis per hoc designavit indicio, observans ne in hujusmodi successibus genuisse aliquem nominaret. *Augustinus* de Conf. Evang. (Lib. II. cap. 2. fere sub initio.) Commodius enim filius ejus dictus est à quo fuerat adoptatus, quam si diceretur ab illo genitus cujus carne non erat natus. Matthæus autem dicens, *Abraham genuit Isaac*, & in hoc perseverans donec diceret, *Jacob genuit Joseph*, satis expressit eum patrem produxisse secundum ordinem generationum à quo Joseph non adoptatus, sed genitus erat. Quamquam si etiam Lucas genitum diceret Joseph ab Heli; ne sic nos hoc verbum perturbare deberet: neque enim absurde quisquam dicitur non carne, sed caritate genuisse, quem sibi filium adoptaverit. Ex *Historia Eccles.* (apud Euseb. Lib. I. cap. 6.) Hæc autem non nobis ad subitum reperta, aut absque ullis auctoribus commentata sunt; sed ipsi Salvatoris nostri secundum carnem propinqui, seu studio tanti seminis demonstrandi, seu edocendi quæ secundum veritatem gesta sunt, hæc tradiderunt. *Augustinus* de Con. Evang. (Lib. II. cap. 4. à medio.) Merito autem Lucas, qui non ab initio Evangelii sui, sed à baptismo Christi generationes enarrat, tamquam sacerdotem in expiandis peccatis magis assignans, adoptionis originem ipse suscepit: quia per adoptionem efficitur Filius Dei credendo in Filium Dei. Per carnalem vero generationem, quam Matthæus prosequitur, Filius Dei potius propter nos homo factus est. Satis autem ostendit Lucas se dixisse Joseph filium Heli; quod illi fuerit adoptatus, cum Adam filium dixerit Dei per gratiam, quam postea peccando amisit, tamquam filius in paradiso constitutus sit. *Christus* in hom. (4. non remote à princ.) Positis igitur progenitoribus universis, & siens in Joseph, addit. *Virum Mariæ*, monstrans quod propter illam & hunc in genealogia posuit. *Hieronymus.* Cum autem virum audieris, tibi suspicio non subeat nuptiarum; sed recordare consuetudinis Scripturarum, quod sponsæ uxores, & sponsi viri vocantur. *Gennadius* de Ecclesiasticis Dogmatibus (cap. 2.) Natus est autem Dei Filius ex homine, idest ex Maria, (1) & non per hominem, idest ex viri coitu, sicut Ebion dicit: unde signanter subdit: *De qua natus est Jesus.* *Augustinus* de Hæresibus (cap. 11.) Quod est contra

S. Thom. Oper. Tom. VIII.

E

(1) *Al.* & per hominem, idest non ex Maria, & non per hominem, &c. (2) *Al.* qua natus est Christus.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Vel initio 2. partis quæ incipit, *Deus certe perfectus est*; sed non est Augustini.

Valentinum, qui dixit, Christum nihil assumpsisse de Virgine; sed per illam tantquam per rivum, aut filulam pertransisse. *Augustinus* contra Faustum (Lib. 26. cap. 7. circa finem.) Cur autem carnem ex utero feminae assumere voluerit; summa consilii penes ipsum est: sive quod utrumque sexum hoc modo honorandum judicavit assumendo formam viri, & nascendo de femina; sive aliqua alia causa, quam non temere dixerim. *Augustinus* de Quæst. nov. & veter. restam. (a) (quæst. 49.) Quod autem per olei unctionem præstabat Deus his qui in Reges ungebantur, hoc præstitit Spiritus Sanctus homini Christo addita expiatione, (2) quare natus, Christus est appellatus; & hoc est quod dicitur: *Qui vocatur Christus.* *Augustinus* de Con. Evang. (Lib. II. cap. 1. circ. med.) Non tamen erat fas ut eum ob hoc à conjugio Mariæ separandum putaret quod non ex ejus concubitu, sed virgo peperit Christum: hoc enim exemplo magnifice insinuat fidelibus conjugatis, & servata pariconsensu continentia, posse permanere conjugium; non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu; præsertim quia nasci eis filius potuit sine ullo complexu carnali. *Augustinus* de Nup. & concup. (Lib. I. cap. 11. in fine) Omne autem nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi, fides, proles, & sacramentum: prolem cognovimus ipsum Dominum; fidem quia nullum adulterium; sacramentum, quia nullum divortium. *Hieronymus.* Quæret autem diligens lector, & dicat: Cum Joseph non sit pater Domini Salvatoris, quid pertinet ad Dominum generationis ordo deductus usque ad Joseph? Cui respondebimus primo, non esse consuetudinis Scripturarum ut mulierum in generationibus ordo textatur; deinde ex una tribu fuisse Joseph, & Mariam: unde ex lege eam accipere cogebatur ut propinquam: & quod simul censentur in Bethlehem, ut de una videlicet stirpe generati. *Augustinus* de Nup. & concup. (ut supra) Fuit, & series generationis usque ad Joseph perducenda, ne in illo conjugio virili sexui; utique potiori, fieret injuria, cum veritati nihil deperiret: quia ex femine David erat Maria. *Augustinus* contra Faustum (Lib. 13. cap. 9. in initio.) Nos ergo credimus etiam Mariam fuisse in cognatione David: quia eis Scripturis credimus quæ utrumque dicunt, & Christum ex femine David secundum carnem, & ejus Matrem Mariam,